

videre est in statutis memorati capituli generalis fol. 39.

335. *Cujus commentarii iudicibus regularibus cunctis, imo et saecularibus plurimum servant.* — Porro supradicta Ludovici de Ameno practica criminalis illustrata, ita est composita, ut non tantum nostræ, sed etiam aliarum religionum superioribus et iudicibus, imo etiam saecularibus iudicibus apprime serviat. Invenitur etiam in compendio sanctorii de Melphi ad finem.

§ VIII.

COMPENDIOSA ET CLARA INSTRUCTIO PRACTICA RITE FORMANDI PROCESSUM CRIMINALEM APUD REGULARES, PRÆSERTIM IN ORDINE NOSTRO SERAPHICO.

336. *Causa tradendi hanc instructionem, et modus scribendide illa.* — Quamvis juxta dicta § præced. pro ordine nostro pulcherrima jam extet practica criminalis, et insigniter in eam practica simul et theorice commentatus sit Ludovicus de Ameno, nihilominus quia memorata practica, utpote municipalis, non pro quavis religione plene quadrat, nec pro quovis iudice ordinis etiam nostri sufficit, et insuper commentarii dicti Ludovici de Ameno valde prolixi sint, ita ut superiores et iudices ob temporis angustias, et negotiorum copiam ea, quæ pro servando debito juris ordine et forma, scitu necessaria, vel utilia, sunt, legere et conquirere non semper possint; consultum iudicavimus, compendiosam hic annectere instructionem, eamque ita simplicem et claram, ut quivis etiam minus peritus in jure facile scire valeat, quomodo in religione processum criminalem a principio usque ad finem instituere possit, ac debeat.

337. *Adjungitur integer processus formalis criminalis: et quomodo?* — Pro cujus majori claritate facilitate integrum adjungimus processum formalem, ut in jure minus peritus, vel in causa criminali minus expertus iudex in exemplo videre valeat, qualiter instructio hæc practica in praxin actu deducatur. Processui huic formali immiscentur breves instructiones practicæ, ita tamen, ut hæc litteris typi ordinarii, ipse autem processus litteris cursivis exprimatur, quatenus qui desiderat aliquem processum integrum rite formatum, quasi ex protocollo legere, id habere possit; dummodo omissis iis, quæ ordinariis

typi litteris exprimuntur, legat ea, quæ litteris cursivis (uti vocantur) comprehenduntur. E contra qui de quavis parte processus compendiose instrui cupit, instructionem practicam cujusvis annexam ad manus habeat. Ubi tamen benevolum lectorem monitum volumus, quod, quia non pro doctoribus in jure, vel bene practicatis, sed pro minus peritis in jure, minusve expertis in causa criminali, et quidem non nisi compendiose hæc scribimus, simpliciter tantum, et breviter incedamus, nil vel parum exjure, vel doctoribus simul allegaturi, probaturi, aut dicturi, doctrinam tamen securam tradituri, ejus probationes, et fundamenta aliunde supponentes, præsertim ex lib. II, titulis v. g., *de libelli oblatione, de juramento calumnie, de dolo, et contumacia, de confessis, de attestationibus, de fide instrumentorum, de præsumptionibus, de exceptionibus, et sententia, et re judicata, de appellationibus, etc.*

Et quia nihilominus § præsens valde longus erit, illum in plures sub § dividemus, cuivis rubricam et summarium addentes pro majore claritate.

Cæterum lector ob prolixitatem hujus § non terreatur; quia dum processum active, vel passive habet, non est necesse totam hanc materiam simul legere, sed sufficit, et proposito suo satisfaciatur, si unum sub § post alium, semper nempe illum legat, de cujus objecto pro tempore agere habebit, ordinem et seriem videbit ex elencho ad initium libri posita.

338. *Processus criminalis ordinarius institui nequit sine præcedente accusatione, vel denuntiatione, vel exceptione, vel infamia, indicibus, aut aliis causam præbentibus processum ab inquisitione formandi.* — Sciendum itaque imprimis, et bene notandum, quod cum ordinarius processus criminalis non nisi quadruplici via institui queat, videlicet vel media accusatione, vel denuntiatione judiciali, inquisitione, vel exceptione, iudex processum instituere non debeat, nec possit, si nemo accusat, vel judicialiter denuntiat, nec adest infamia, vel indicia, aut alia ad inquirendum requisita, juxta dicta supra § præced.

339. *Nisi crimen sit notorium, aut in flagranti deprehensum.* — Dicitur autem ordinarius; quia in dictis sine ordine puniendis, notoriis nempe, et in flagranti deprehensis, nec accusatio, nec denuntiatio, nec fama requiritur per dicta supra § 3. Hoc notato praxin procedendi, et ipsum processum pro

quovis ex prædictis modo, seu via subjungemus, præfixa cuivis modo, et partibus ejus, rubrica majoris claritatis gratia.

DE PRAXI FORMANDI PROCESSUM VIA ACCUSATIONIS INSTITUTUM.

340. *Si per accusationem instituitur processus, debet accusator prius iudici ordinario offerre libellum, vel ei insinuare, quod accusare velit.* — Quæritur I. Qualiter in praxi institui, et formari debeat processus criminalis per modum vel viam accusationis? Resp. per viam accusationis processus apud regulares taliter instituitur. Imprimis requiritur, ut adsit accusator iudici ordinario (qui apud nos provincialis) libellum accusationis debite formatum juxta exemplar, n. 334, præsentem offerat, vel absentem mittat. Potest autem etiam accusator, si vult, prius, id est, ante libelli oblationem oretenus, vel per litteras iudici insinuare, quod reum aliquem de certo crimine accusare intendat; idque adeo, ut iudex ordinarius se præparare, et notarium, ut pro actuario inserviat, creare, et deputare (nisi jam aliquis adsit; prout in pluribus provinciis sunt secretarii provinciarum) cum eoque vel ipse in persona, vel per delegatum rite, ac judicialiter inchoare valeat processum.

Accepto libello, vel insinuatione accusationis percepta iudex ordinarius debet citare vel vocare accusatorem, tum ut coram se, vel coram delegato libellum personaliter offerat: tum ut juramentum calumniæ, vel potius malitiæ præstet juxta dicenda infra n. 349.

341. *Dein liberum est iudici ordinario, an per se, vel delegatum instituere velit processum. Quinam et quomodo delegari possint, aut debeant?* — Si per iudicem delegatum processum instituit iudex ordinarius, debet ei forma debita suam jurisdictionem per scriptas patentes delegare, ut iisdem legitimare se valeat delegatus, et ipsa delegatio actis inseri queat. Ubi attendendum, ut non nisi de iure qualificatus delegetur: quasnam vero qualitates delegandus habere debeat in ordine nostro, habetur in practica criminali, tit. I, quid iudex, et ibi Ludovicus de Ameno. Solum notandum, quod apud nos guardianus non possit delegari ab provinciali, nisi gaudeat qualitatibus, loc. cit. requisitis. Porro, in patentibus delegativis debet ordinarius exprimere, an usque ad sententiam

definitivam inclusive, vel exclusive jurisdictionem deleget. Forma autem delegandi potest esse sequens, vel similis, quam habet Ludovicus de Ameno in *Formular. criminal.*, sect. 2, num. 46.

Nos F. N. Minister Provincialis dilecto nobis in Christo R. P. N. N. salutem in Domino, qui est vera salus.

«Exigit muneris nostri ratio, exacta boni pastoris diligentia, omnem curam ovilis a Deo nobis commissi habere, ita ut oves nostræ custodiæ demandatas, non solum suavi exhortationis sibilo ad salutis pascua dirigamus, et virtute deficientes medicinalibus correctionibus sanemus, sed etiam devias a semita rectitudinis, et per culparum prærupta errantes adhibita rigoris virga ad caulam reducamus. Cum igitur ex accusatione coram nobis producta, vel ex denuntiatione judiciali oretenus, vel per litteras, quas hic accludimus nobis facta, vel ex fama ad nos delata, non sine animi mœrore intelleximus, F. N. in conventu N. de familia commorante, diabolo instigante commisisse, etc. (Hic recensentur delicta rei processandi) nos vero officii nostri gravissimis negotiis implicati, judicialem indaginem debitam personaliter instituere non valeamus, cogimur hoc munus alteri delegare. Tibi ergo, cujus prudentia, jurium peritia, rerum criminalium praxis, ac junctus discretioni zelus nobis abunde sunt perspecta, provinciam nostram duximus, demandare; prout harum serie te iudicem nostrum delegatum constituimus, tibi que committimus, ut assumpto tibi bene viso socio, et actuario (quam prius in notarium debite crees) ad memoratum conventum te conferas, et super præfato delinquente ac delictis ejusdem processum criminalem usque ad sententiam definitivam exclusive, vel inclusive instituas; pro quo omnem nostram facultatem ac potestatem necessariam, et opportunam delegamus. Proinde omnibus, et singulis dicti conventus præcipimus, ut te tanquam iudicem nostrum delegatum recipiant, et agnoscant, atque in hac causa, ac spectantibus ad eam, tibi ut nobis obediant sub pœnis per constitutiones nostras contra rebelles et contumaces latis. Datæ. — Ego F. N. minister provincialis.»

342. *Delegatus ante omnia quid facere debeat?* — Delegatus, si format processum, de-

bet ante omnia se legitimare, faciendo, ut in conventu, vel monasterio, ubi jurisdictionem exercet, ejus delegatio publice legatur; nisi magis expediret, ut coram aliquibus discretis in secreto fiat legitimatio, ne reus fugiat, aut subornet testes; prout facile contingere potest; quia in hoc casu non tantum judex ordinarius, sed etiam delegatus reum ad carcerem per modum custodiæ detrudere potest, ac debet, per dicenda infra num. 398 et seq. et sufficit legitimatorem coram discretis fieri.

343. *An, et quando delegatus judex habeat præcedentiam, ante superiorem localem?* — Vi delegationis nulla competit delegato ad causam criminalem præcedentia extra locum judicii, consequenter nullatenus præcedere potest superiorem localem extra judicium, nisi ordinarius aliter disponat, vel nisi contra ipsum superiorem localem processus esset formandus, ut bene advertit Ludovicus de Ameno, in *Practica criminali*, tit. I. *Quid judex*, § 4, quæst. 18, n. 143, vel nisi superior accusator, denunciator, et consequenter actor esset, tunc enim æque ac reus est principalis persona ad judicium requisita, iudici a principio usque ad finem specialiter subjecta. Tres siquidem personæ principales ad judicium requiruntur, videlicet actor, reus, et judex, inter quam judex respectu duarum aliarum durante judicio est legitimus superior, cui actor non minus quam reus est specialiter et continuo subjectus, et usque ad sententiam necdum securus, an non contra ipsum potius, quam contra reum sententia feratur, ipseque, ad pœnam talionis, vel calumniatoris prout fieri debet partim juxta dicta supra, partim juxta dicenda lit. seq. Hinc sicut ex eo, quod superior localis ut reus sit persona principalis judicii, indeque specialiter iudici etiam delegato subjectus, delegatus illum in, et extra judicium etiam in publico refectorio præcedit. Quod in ordine nostro olim jam declaratum existit; nam teste Ludovico de Ameno judex delegatus præcedit superiorem localem etiam extra locum judicii, quando lis est inter caput et membra; prout verè est; si superior localis est actor judicialis, et subditus reus.

DE CREATIONE NOTARII INITIO PROCESSUS, ET LIBELLI OBLATIONE.

344. *Judex ante omnes alios jurisdictionis actus debet creare notarium: quare et quo-*

modo? — Facta legitimatione debet judex delegatus ante omnes alios actus jurisdictionis sibi creare notarium publicum (nisi a iudice ordinario jam sit deputatus vel creatus) quod etiam ante omnes actus in processu facere debet judex ordinarius, si ipse in persona processum format. Cum enim ad hoc, ut actus in iudicio sint legales, et authentici, fidemque publicam mereantur, scribi debeant vel a notario publico, vel a duobus scriptoribus idoneis, arg. c. *Quoniam de probat.*, etc. *Ut officium de hæret.*, consequens est, ut ante omnes alios actus creetur notarius (quo siquidem scriptores non amplius sunt in usu) ut subsequentibus actibus fidem publicam faciat. Creato notario debet dein a iudice deferri, et a notario præstari juramentum de officio fideliter exequendo, idque totum fieri debet in præsentia duorum testium, et actis inseri, cum subscriptione præfatorum testium, ut de creatione, et juramento notarii tanquam parte essentiali judicii ex actis legitime constet.

345. *Forma creandi notarium facilis est, plus enim non requirit, quam ut judex sive ordinarius, sive delegatus coram duobus testibus ad id vocatis, hæc aut similia dicat:* « Notum est Patres NN. quod ad processum rite formandum omnino requiratur notarius publicus, ut actis, quæ ut actuarius scribere debet, fidem publicam faciat; hinc in vestra tanquam testium ad id specialiter rogatorum præsentia hunc NN. ex competente nobis privilegio apostolico in notarium publicum de facto creamus, creatum pro actuario deputamus, ei que juramentum de officio fideliter exequendo imponemus; » quod deputatus actuarius illico etiam in præsentia testium deponit, more sacerdotibus consueto; tangens nempe manu pectus et dicens v. g.: « Juro per Deum quod velim officium meum fideliter exequi. »

346. *Expediit subinde, statim ab initio adhibere assessores, quando autem constituitur, et examinatur reus, necesse est: quales debeant esse?* — Poterit etiam, etsi arduitas causæ, vel rei nequitia specialis adest, expediit, deputare duos assessores; quamvis enim sola præsentia iudicis et notarii plenam faciat fidem in iudicio, tamen quia subinde rei tam malitiosi sunt, ut negent aliquando jam confessam, iudicem vel notarium de falsitate insimulant. Protocollum falsificatum proclamant, justitiam sibi denegari lamententur, etc. Omnino conducit adhibere duos asses-

sores, ut judex a dictariis obloquentium se immunem reddat. Ubi per assessores hic intelligimus peritos in jure, et expertos in re criminali; sed viros omni exceptione majores qui quasi testes adsunt pro majori fide processus rite et fideliter formati; quamvis locorum duos, vel saltem unum in jure peritum et expertum adhibere possit judex, et ut adhiberet, sæpe necesse foret, prout pluribus demonstrat Ludovicus de Ameno, in *Pract. criminali*, tit. Canones III, quæst. 5, num. 117. Porro, si ab initio processus non adhibentur assessores, saltem ex tunc adhibeantur, quando constituitur, et dicitur adhuc infra num. 404.

347. *Forma incipiendi processum si judex adest ordinarius.* — Creatione notarii finita, inchoat actuarius scribere actus processus, et imprimis refert factam legitimationem iudicis (si adest delegatus) sui que creationem in notarium, cui præmittit competens processus initium sequenti, aut simili modo.

« In nomine Domini. Amen. Hic est processus criminalis, quem ad instantiam patris, vel fratris Titii NN. via accusationis incedere volentis formare intendit A. R. P. N. N. Minister Provincialis: cum enim coram illo comparuisset dictus Fr. N. volens A. R. P. Provincialis procedere prout juris, vocavit me ad suam cameram, et in notarium publicum, quatenus pro actuario inservire valerem, creavit atque juramentum de officio fideliter exequendo detulit: quod etiam in præsentia testium præstiti. Acta sunt hæc anno, mense, die, loco quo supra. »

Quod si vero accusator ante libelli oblationem iudicii prius oretenus, vel in scriptis insinuat quod accusare intendat, juxta dicta num. 340, poterit initium processus ita notari.

« Hic est processus criminalis, etc., ut supra cum enim coram illo comparuisset dictus Fr. N., et oretenus, vel in scriptis proposuisset, vel scripserit eidem, quod unum, vel alterum ex zelo religionis intendat accusare de certo, vel pluribus criminibus A. R. P. Provincialis vero respondisset, paratum quidem se esse ad justitiam administrandam, sed necessarium ad hoc esse, ut prius offerat libellum accusationis in præsentia notarii publici, vaderet proin et interea rite formaret, aut formari faceret hu-

jusmodi libellum, vel certe præpararet se ut veniente notario ad protocollum oretenus dictare valeat, dictus titulus discessit: ipso autem discedente A. R. P. Provincialis me infra scriptum ad suam cameram, in quod suum tribunal erexit, et in præsentia testium NN. me in notarium publicum creavit, ut pro actuario inservire valerem, mihi que juramentum de officio fideliter exequendo detulit, quod et in præsentia præfatorum testium præstiti. Acta sunt hæc anno, mense, die, loco, quo supra. »

Dein fit subscriptio tali modo. Ego N., minister provincialis. Ego N., testis fui præsens. Ego N., testis fui præsens. Ego N., actuarius.

348. *Forma si adest judex delegatus.* — Quod si vero judex delegatus processum format, tunc observatis prius observandis, præmissa nempe legitimatione, et notarii creatione processus ita inchoatur.

« In nomine Domini. Amen. Hic est processus criminalis, quem via accusationis informare intendit NN. judex delegatus. Cum enim, etc., ut supra num. 347, usque ad verba: A. R. P. provincialis aliis negotiis impeditus jurisdictionem suam super hac causa specialiter delegasset NN. præfatus NN. judex delegatus ad locum NN. se contulit, ibique ante omnia se legitimavit, faciendo ut publice in refectorio, vel coram testibus NN. (Si ita fieri oportet juxta dicta supra num. 342) legerentur litteræ patentalis jurisdictionis delegatæ: postea me infra scriptum, etc., ut supra num. 347. Acta sunt hæc anno, etc. »

Dein fit subscriptio ut supra. Ego NN., judex delegatus. Ego NN., etc.

349. *Citatio accusatoris, oblatio et acceptatio libelli.* — Initio ita facto judex sive ordinarius, sive delegatus (qui quoad subsequentia æqualiter procedit) tempore opportuno vocat accusatorem, vel accusare intendentem, eumque admonet, ut juxta extrajudicialiter proposita, vel litteras missas, offerat modo, si in proposito manere velit, in loco iudicii libellum: quem ille offert, actuarius autem cuncta protocollo inserit hoc vel simili modo.

« Consequenter vocatus comparuit F. Titius N. quem monuit NN. judex ordinarius

vel delegatus, ut juxta extra judicialiter proposita nunc in loco judicii offerret libellum, quem ille etiam porrexit: inslando, ut acceptaretur, et prout juris procederetur. A. R. P. judex, etc., vero illum accepit, et legit, consideratisque considerandis decrevit, illud acceptare, si, et in quantum, etc., provisurumque prout juris, ita tamen, ut accusator prius deponeret juramentum calumniæ, vel potius malitiæ, quod ille statim præstitit; ego vero juxta mandatum A. R. vel R. N. judicis delegati, etc. Libellum actis inserui, prout videre est in adjacenti charta sub lit. A. libellus: incipit, etc., et desinit, etc.) scribatur tenor initii, et finis libelli (acta sunt hæc anno, mense, die, loco, N., uti supra.) » Ego N., judex delegatus. Ego F. titius N. Ego N., actarius.

Notandum hic, quod apud nos judex non possit acceptare accusationem, nisi prius accusator juret, se malo zelo ad accusandum non moveri; prout expresse habetur in practica crimin., titulo: Accusatio § 3, quod juramentum calumniæ, vel potius malitiæ dicitur.

350. *Juramentum calumniæ quid? et quomodo præstetur a sacerdote? et quomodo a laico?* — Si adsunt assessores, etiam ut illi subscribant, consultum est, et quidem ante actuarium. Per juramentum calumniæ intelligitur illud, quod accusator jurat, se non odio, vel animo calumniandi accusare, quod hac vel simili forma fieri potest: juro per Deum, quod non odio, nec animo calumnandi Fr. Mævium accusem. Ubi notandum, quod sacerdotes tacto pectore, laici vero tacta sacra Scriptura, Evangelio v. g. jurare debeant; prout bene notatur in nostra *Practica criminali*, tit. *Inquisitio*, IX, § 8.

351. *Libellus, quid? et quando debeat esse formatus?* — Per libellum accusationis vero intelligitur scriptura, in qua accusator rite exprimit ea, de quibus reum accusat. Ad quem debite formandum attendere debet accusator, ut observet requisita ad illum juxta dicta supra § 1, a n. 6, si in aliquo ex necessario requisitis caret, judex illum acceptare non debet, sed monere minus peritum accusatorem, ut defectum hunc suppleat; si non potest suppleri, illum rejicere, et a processu supersedere debet.

352. *Expedit ut articulatus, et cum denominatione testium offeratur.* — Et licet sæpe,

præsertim in actionibus civilibus libellas inarticulatus, seu sine articulis offeratur, et primum post litem contestatam articuli una cum denuntiatione ac directorio testium, aut aliorum mediorum probationes judici offerantur, qui dein illos ante omne examen testium communicat reo ad hoc, ut, quid ipse negat, vel fatetur, pateat, et, ut si aliquas exceptiones habet, sive contra ipse articulos quasi irrelevantes, sive testes opponere valeat; tamen quia in processu criminali ante omnem litem contestationem, et antequam quidquam de accusatione facta communicetur reo, testes pro summaria informatione judicis super accusationis punctis prævie examinentur ad hunc finem, ut saltem semiplena habeatur probatio, et consequenter ut reus constitui, et legitime examinari valeat (nequit enim is constitui, vel legitime interrogari super re, quæ saltem semiplene probata prius non existit) ideo omnino expedit, et pro utili brevitate processus omnino servit, ut statim ab initio libellum rite articulatam, seu cum accusatoris articulis, quos probare se confidit accusator, ac denominatione et directorio testium judici offerat.

353. *Quamvis non teneatur statim denominare testes, et edere probationes, sed sufficiat, si cum tempore successive id fiat.* — Enimvero quamvis juxta jam dicta numer. 96, accusator in libello non teneatur statim denominare testes, et edere vel indicare probationis instrumenta aut media, sed sufficiat, si ad probandum sub pœna talionis se obliget, et testes aliaque suo tempore successive producat, ne forsitan citius manifestati testes a reo, vel aliis subornentur, impediatur, terreantur, etc., ipseque propter ea in probatione succumbere, et talionem subire debeat, prout bene advertit Ludovicus de Ameno, tamen quia ordinarie nihil horum timendum est; cum judex testes in libello jam denominatos usque ad examinis, vel citationis tempus manifestare nequeat, honum et commodum est, ut illos statim in libello denominet accusator, simulque exprimat, super quo articulo, vel capitulo quis examinari debeat. Ad quem finem servit, si totum libellum in articulos, seu capitula ordinarie dividat.

354. *Forma libelli articulati cum denominatione testium.* — Ut autem constet, quomodo libellus articulatus in praxi debeat esse jungitur forma sequens.

Forma libelli accusatoris. — « Coram A. R. P. N. N. Ministro Provinciali (si causa delegata est alteri, exprimitur nomen illius) comparet F. Titius N. et non odio, vel passione, nec animo calumniandi, sed justo zelo religionis ductus, ut videlicet delicta in uno publice punita alios a delinquendo terreant, accusat fratrem Mævium N. tanquam furem sacrilegum, injustum percussorem, violentum carceris effractorem, et malitiosum apostatam. Ponit enim accusator, et dicit verum esse.

» Primo: quod pretiosissima monilia, et miraculosa B. V. Mariæ ordinarie pendencia de pretio circiter 3,000 florenorum: sicut etiam duos pretiosos calices e sacristia fuerint ablata.

» Secundo: quod dictus Fr. Titius N. habuerit clavem regiam.

» Tertio: Quod memoratam clavem furtive sibi fieri curaverit.

» Quarto: Quod noctis tempore inopportuno, et postquam janua etiam interior jam erat clausa, visus fuerit in templo imaginem beatæ virginis Mariæ hinc inde circumspiciens, an nemo illi attenderet.

» Quinto: die 5 Maii hoc anno, in mense Aprilis in sacristia clausa fuerit deprehensus.

» Sexto: Quod habeat correspondentiam litteralem cum puella Bibiana N.

» Septimo: Quod apud dictam puellam præfata monilia fuerint visa.

» Octavo: Quod ipse monilia et calices revera furatus fuerit anno, mense, die.

» Nono: quod custodia causa carceratus carceres violenter effregerit.

» Decimo: Quod fratrem Justum N., accurrentem graviter percusserit, et vulneraverit.

» Undecimo: Quod per octo dies, postquam e monasterio aufugit in domo præfate puellæ delituerit.

» Ad quæ in judicio legitime probanda sub pœna talionis se offert, et subscribit accusator. Instat proin, ut libellus acceptetur, et prout juris procedatur, compertaque veritate propositorum reus juxta juris, et statutorum tenorem puniatur. Atque hoc, et omni meliori modo, etc. Datæ die mense, anno, etc. » Fr. Titius N.

Directorium probationis, et denominatio testium. — « Super primo constabit per visitationem corporis. Fr. Homobonus N. super

secundo, quarto, quinto et septimo. F. Justus N. super secundo, octavo, nono et decimo. Servitialis N. et faber serrarius N. super tertio. Fr. Benedictus N. super quarto et septimo. Fr. Benignus N. super decimo. Fr. Fidelis N. et Fr. Angelus N. super undecimo. Super sexto articulo litteræ A. et B. interceptæ. »

Hujusmodi directionem, et denominationem testium statim in eadem libelli charta subjungit: nisi forsitan timeret subornationem testium; tunc enim denominationem testium omittit, et eos suo tempore successive producere poterit, juxta dicta numer. 353.

355. *Alia forma.* — Porro, si unum, vel plura delicta, in quibus alium quis accusat, absque aliis indicis statim per sufficientes testes, vel alia instrumenta plene probare potest, v. g., per duos testes omni exceptione majores, vel per unum, et propriam scripturam rei, non esset necesse, ut faciat articulos de indicis et conjecturis, sed ipsa delicta pro articulis ponere potest, v. g., ponit enim accusator verum esse.

» Primo, Quod furatus fuerit pretiosa monilia pendencia e statua B. V. Mariæ in templo N., mense, die.

» Secundo, quod furatus sit calicem ex sacristia, mense, die.

» Tertio, quod graviter vulneraverit fratrem prope portam, mense, etc. »

Testes examinandi. — « Fr. N. et Fr., super primo et tertio. Fr. N. super secundo, et super eadem littera A. B. »

DE VISITATIONE CORPORIS DELICTI.

356. *Visitatio corporis delicti, facti permanentis fieri debet ante ullum aliud examen testium, vel rei.* — Oblato, et acceptato libello, juramento calumniæ per accusatorem prestitito, et facta horum narratione in actis modo supra allegato, procedit judex ad visitandum corpus delicti, seu ad cognoscendum, quod delictum revera sit commissum. Et quidem, si delictum est facti permanentis, id est, relinquens post se vestigium, juxta dicta supra numer. 202, vadit ipse in persona, vel mittit suum actuarium cum duobus testibus, et per inspectionem ocularem videt, an delictum sit commissum; si autem delictum

tum est facti transeuntis, talis inspectio ocularis utpote impossibilis non fit, sed delictum una cum delinquente simul cognoscuntur, juxta dicta § 4, n. 201.

357. *Et quomodo?* — Porro visitatio et cognitio corporis delicti facti permanentis debet circumstantionate describi, et inseri actis, quod vulgo dicitur visum, et repertum: cum igitur publice pendentiam monilium ablatio, sicut et carceris effractio, ac etiam vulneratio in primo, nono, et decimo articulo libelli propositæ, sunt delicta facti permanentis eorum visitatio et cognitio facta, ita describitur.

358. *Forma visitandi et notandi visitationem factam.*

« Consequenter A. R. P. Provincialis judex ordinarius volens debito juris ordine procedere, associatus a me, et duobus testibus NN. ad hoc specialiter vocatis se contulit ad visitandum corpus delicti in libelli articulo primo propositi, visumque, et repertum fuit, quod monilia e statua Beatæ Virginis Mariæ alias dependentia, amplius non adessent. Acta sunt hæc die, mens., anno. » — Ego Fr. N. minister provin. Ego Fr. N. testis sui præsens. Ego Fr. N. testis sui præsens. Ego Fr. N. actuarius.

« Dein habita commoditate contulit se A. R. P. Provincialis ad vulneratum Fr. Justum N., visumque et repertum fuit, quod etc. » (hic describitur locus loci, in quo est corpus delicti, et omnes circumstantiæ, quæ in corpore delicti apparent v. g. de vulneratione juxta articulum decimum) « quod in præfati conventus infirmaria Fr. Justum N., decubuerit in lecto, caput habens involutum fasciis, quibus per NN., remotis apparebat satis notabile vulnus figuræ talis, longitudinis talis, etc. Acta sunt hæc anno, mense, die, loco, quo supra. » — Ego N. minister provincialis. Ego N. testis. Ego N. testis. Ego N. actuarius.

« Visitato præfato corpore delicti perrexit mecum, et memoratis testibus ad visitandum corpus delicti articulo nono propositi, visumque et repertum fuit, quod janua carceris in duas partes contracta ibidem adhuc jacuerit, postibus et vectibus e loco suo amotis, etc. Acta sunt hæc, etc., ut supra. » Ego N. minister provincialis. Ego N. testis. Ego N. testis. Ego N. actuarius.

359. *Quando ad visitandum corpus delicti requiruntur periti in arte, quid faciendum? Sæculares non adhibeantur, quandiu haberi possunt regulares ex proprio ordine.* — Quod, si ad plene cognoscendum corpus delicti, requirantur etiam periti in arte, prout contingere potest, debent vocari, et viso corpore delicti, quid sentiant jurato examinari, habita prius ad id licentia suorum superiorum (si sæculares vel alterius religionis regulares adhibendi sunt) de cujus praxi vide Ludovicum de Ameno *Formulario criminali*, sect. 3, n. 4 et seqq. Ubi tamen monemus judices, ut ad avertenda scandala, et religionum confusiones nunquam adhibeant sæculares, nec alios extra propriam religionem, quandiu haberi possunt artis periti in propria religione; prout plerumque haberi possunt chirurgi ad agnoscendum vulnus, si (quod Deus avertat) in religione aliquod cuidam infligeretur, item boni scriptores ad comparationem litterarum, etc., cum quævis religio fere semper similes religiosos in arte peritos habeat.

DE EXAMINE TESTIUM ANTE CONSTITUTIONEM REL.

360. *Visitato corpore delicti, facit judex decretum ad ulteriora procedendi: et quomodo?* — Visitato et probato corpore delicti debet judex facere decretum de procedendo ad ulteriora, sequenti aut simili modo.

« Cum ex hactenus agitatæ appareat delicta articulo nono, et decimo exposita fuisse commissa, videlicet monialia fuisse ablata, Fr. Justum N. graviter vulneratum, et carceres effractus, etc., A. R. P. provincialis decrevit, prout præsentis decreto decernit ad ulteriora procedere inquirendo de delinquente per examen testium, et alia præstando, prout de jure acta sunt hæc anno, mense, die. » — Ego N. minister provincialis. Ego N. actuarius.

361. *Statimque incipit examinare testes ad hoc, ut saltem semiplena probatio habeatur ante constitutionem et examen rei. Quid et quomodo probent testes in hoc examine?* — Conformiter itaque huic decreto, et ordini juris incipit vocare, et pro informatione summaria per processum informativum examinare testes ad hoc, ut saltem semiplenam probationem delicti, vel delictorum in libello

expositorum ante citationem, et constitutionem rei habere valeat; cum juxta certo dicta, et dicenda reus constitui, et legitime examinari nullus possit ante semiplenam probationem delicti contra eundem; quamvis enim testes etiam jurato examinati ante constitutionem rei plene non probent ad convincendum et condemnandum reum, imo ad hunc finem ante litem contestatam a reo nec citari et examinari valeant, claris juri- bus, sed si velit reus, post factam ipsius constitutionem, et examinationem, examen eorum denuo repeti debeat, tamen sufficienter probant ad hoc, ut reus constitui, et legitime examinari valeat. Quapropter examen hoc testium, quod ante litem contestatam, et rei constitutionem fit, est tantum et vocatur informatio summaria et offensiva, seu processus informationis, seu potius pars illius ad hoc principaliter instituta, ut reus legitime constitui et examinari valeat.

Dicitur notanter principaliter ad hoc instituta, quia, si reus repetitionem illorum testium non desiderat, consequenter illos prout rite examinatis habet, etiam ad convincendum, et condemnandum reum plene probare valent, ut bene observat Ludovicus de Ameno, in *Practic. criminali*, tit. *Quam formam VII*, quæst. 2, num. 15 et alii. Hinc:

362. *Potest judex, et expedit plures examinare testes ante examen rei, et quare?* — Provide facit judex, si in summaria informatione ante constitutionem rei tot examinet testes, quot etiam ad plenam probationem sufficiunt, ut, si dein reus illorum repetitionem non urgeat, nec contra aliquem legitime excipiat, sine ulteriori examine ad convincendum etiam et condemnandum reum sufficere valeant.

363. *Regulæ, et principia, quæ judex observare debet in examine testium.* — Porro ut testes tam ante, quam post constitutionem rei rite examinentur, sequentia bene observet. Primo, an testis non sit inhabilis ad testificandum. Quinam autem testes sint habiles, et qui inhabiles, habes ample lib. II, tit. XX, de *Testibus*, ac etiam in *Practica criminali*, nostra, lit. XV, testes. Ad cognoscendum autem, an sit habilis; juvat præmittere interrogatoria generalia modo infra ponendo, num. 372.

364. *Secundo, ut statim ante initium examinis exprimat, an testis ex officio sit assumptus, seu ab accusatore productus vel examinatus.*

365. Tertio, ut ante examen eidem imponat juramentum de dicenda veritate, ipsumque moneat de obligatione, quam habeat ad dicendam veritatem, et qualis Deo, justitiæ, et proximo injuria inferatur, si veritas taceatur, vel mendacium in judicio profertur.

366. Quarto, ut omnes singillatim, et non duos simul examinet; alias examen esset nullum.

367. Quinto, bene facit, ut interrogatoria, quæ testibus proponere intendit, prius in separata schedula, testi tamen non manifestanda annotet, pro adjutorio memoriæ, debet etiam ad laborare, ut clara et distincta habeatur depositio testis, qui, si vacillare, variare, aut tergiversari videtur, adhortatione urgeri, et interrogatoriis fatigari debet, interrogando etiam: « Quare modo ita deponat, cum prius aliter dixerit? Quomodo potuerit hoc esse, stante tali circumstantia, qua asseruit, etc. »

Sexto, debet judex quemvis interrogare de causa scientiæ, id est, unde sciat hoc, quod deposuit: Et hoc interrogatorium fieri solet, etsi jam pateat ex depositis causa scientiæ; qui evacuari debet; proponitur autem tali modo: « Interrogatus in causa scientiæ. » Resp. etc. Si autem jam constat de ea. Resp. Intellectum; supra nempe.

Septimo, summopere, et sub pœna nullitatis cavere debet ab interrogatoriis suggestivis, id est talibus, quibus quasi suggeritur testi, quid respondere debeat.

368. *Actuarius debet omnia dicta testium tam pro, quam contra reum fideliter scribere et quidem in lingua vernacula testis, in qua judex etiam proponit interrogatoria, quamvis hæc idiomate latino scribere debeat actuarius.* — Octavo, debet actuarius dicta, seu depositiones testium tam pro, quam contra fideliter scribere, et inserere actis; et quidem lingua vernacula, ac quantum fieri potest, de verbo ad verbum, vel saltem genuinum sensum deponentis. Pariter debet judex interrogatoria in lingua vernacula proponere testibus, et aliis; actuarius vero inserit illa actis idiomate latino.

369. *Si testis est absens, quomodo citandus?* — Nono, si testis est absens, et ipse superior major tanquam judex ordinarius format processum, potest ipsum vocare per litteras familiares missivas; quod idem facere potest judex delegatus, si putat, quod testis ad has sit statim compariturus; si vera judicat, vel ipsum testem non venturum, vel superiorem